



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciæ

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Brixiana. In Brixiam Jul. Cæs. Scaliger.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



BRIXIANA.

IN BRIXIAM JUL. CÆS.
SCALIGER.

*Qua pingues scatebras specula despectat ab alta,
Postulat imperii Brixia magna vices.
Cælum hilarum, frons lata urbi, gens nescia fraudis,
Atq; modum ignorat divitis uber agri.
Si regeret patrias animis concordibus oras,
Tunc poterat dominis ipsa jubere suis.*

IN CATHEDRALI.

Vixi, & securus mei possessor fui, quæ dederat mihi
Deus, in cursu peregi; pietate Christi optimi meliores se-
des spero. Valete Brixienfes mei; cælum spectate, Deo pa-
rete. Nam quàm fragilis & caduca sit vita mortaliū, meo
exemplo discite. M. CCCC. LXIII.

IN CHRISTOPHORI.

*Quem non mille artes potuerunt perdere Martis,
Heu miserum, potuit mors violenta nimis.*

CORNELII MICHAELIS.

*Heu Corneli, quæ fors tua?
Sum felix; ne me vexes.
Cur in pube lata obiisti?
Satis vixit, qui bene moritur.*

Qui me volent.

*Valete matrona, matresq; familiās;
Vixi, & ultra vitam nihil credidi;
Memet Veneri alumna addixi;
Quos potui pellexi philtris & astu.
Viro humato non vidua fui.
Nec matrisfam. nomen adeptæ. quæso non invidete.
Porcia familia est, Veneris domus, illicium Cupidinis.
Carve viator, ne me diu calcetam calces.*

BERGOMATIA.

IN PALATIO CAPITANEI.

*Hic locus odit, amat, punit, conservat, honorat,
Nequitiam, pacem, crimina, jura, probos.*



BERGOMATIA.

IN BERGOMUM JUL. CÆS.

SCALIGER.

Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, gressus, guttura, sermo, sonus:
Omnia crassa modis insignibus, omnia dura:
Sic, valeant silices ut superare suos.
Ista domi: sed vicinus si aspergat acetum;
Artibus atq; dolis vincitur ipse suis.

INSCRIPTIONES

BERGOMENSES.

IN FORO.

Bergomum urbs vetustiss. An. ante S. N. 1804. á Cidno Liguris Hetruscorum regis F. exstructa: aliquando in libertate, aliquando sub Romano, Cæsarum, Regum, ac Ducum imperio, vario eventu jactata: sub sanctissima D. Marci alarum umbra, tandem diuturnæ pacis ocio fruitur: & feliciter quiescit.

IBIDEM.

Antonia civis Bergomi virgo, non minús animi quám corporis pulchritudine pollens: cum ab N. N. violentum in se stuprum parari videret: mortem pro conservanda pudicitia vilipendens, gladio violatoris erepto: intrepidum sibi pectus transfodiens, singulari castitatis exemplo urbem hanc perpetuó illustravit.

IBI.